



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 2. Decretum Ivonis Carnotensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

§. II.

Sæculum XI.
A. C. 1092.*Decretum Ivonis Carnotensis.*

Non sine labore in unum Corpus collegi Legum Ecclesiasticarum Excerpta, tam ex Epistolis Pontificum, quam ex Actis Conciliorum, ex Scriptis Patrum, & Regum Catholicorum Constitutionibus, eo consilio, ut, quibuscunque hæc Scripta ad manus non sunt, inde quæ suæ causæ prodessent possunt, accipiant. Initium ducimus a Religionis Christianæ fundamento, nempe a Fide; tum in varios Titulos congerimus, quæ ad Sacramenta, ad morum Regulas & Judicium causarum spectant, ita ut quilibet facile quod quærit, invenire queat. Lectorem vero prudentia præditum monendum esse censuimus, ne, si quod legit non satis intelligat, aut aliqua sibi ipsis adversari credat, in iis damnandis præceps sit, sed studiose discernat, quæ secundum rigorem Juris vel secundum indulgentiam affirmantur; nam totum Regimen Ecclesiasticum Cbaritate nititur. Auctor deinde fusius docet, ex eodem principio fluere, quod Ecclesia jam Canonum rigori inhæreat, jam eundem pia indulgentia relaxet. Speciatim putat, prudenter factum, quod Patres antiquum rigorem de Translatione Episcoporum temperaverint. Totum Opus dividitur in Partes septendecim, quarum singulæ permul-

Sæculum XI. permultos Articulos, puta ducentos tre-
A.C. 1092. centosve, complectitur. Decretales fal-
 sæ ipsi æquali in pretio sunt ac veræ. In-
 ter Leges Principum Christianorum, Co-
 dicem Justiniani, Digesta haud diu an-
 te iterum inventa, & Regum nostrorum
 Capitularia, adducit. Ceterum Ivo ple-
 rumque Buchardum Wormatiensem ita
 exscribit, sicut antea Buchardus Regino-
 nem, eosdem errores præsertim in In-
 scriptionibus Articulorum admittens.
 Sed illa ætate possibile non erat, ut quis-
 quam privatus omnes Libros Autogra-
 phos, ex quibus tot Textus excerpti sunt,
 ad manus haberet.

*Sup. lib.
LVIII. §.
52.*

§. III.

Concilium Stampense.

Ivo. ep. 8. Richerius vero Archiepiscopus Seno-
 nensis, indigne ferens, quod Ivo a
 se repulsus Romam ad accipiendam a Pa-
 pa Ordinationem ivisset, epistolam ad
 eum dedit, amaro calamo exaratam, in
 qua contemptim nec Episcopum compel-
 labat nec fratrem, exprobrans, quod pro-
 vinciam suam turbaret, & Episcopi Geo-
 fridi, quem ipse pro deposito non habe-
 bat, Sedem usurparet. Respondit Ivo:
*Si tibi homo extraneus sum, cur in Ju-
 dicium vocas? cur vis, ut tibi obedi-
 tiam præstem? contra Sedem Apostolicam
 palam insurgis, cum destruere conaris,*
 quod